

posteriori; tum, quia imperare est actus prudentiæ (ut supra diximus ex D. Thoma) eo quod prudentia est vis gubernativa, et discretiva ejus quod agendum est, imperare autem est proprium gubernantis et dirigentis, et prudentia residet in intellectu: ergo imperare est actus intellectus. Item sicut orare pertinet ad inferiorem, ita imperare ad superiorem, quia correspondent sibi invicem imperare, et orare: constat autem quod orare est actus intellectus, cum sit locutio, et dictio; ergo etiam imperare est actus intellectus cum sit denuntiare, seu intimare, et manifestare quod est agendum dicendo: Fac hoc. Similiter lex est quoddam præceptum, et imperium, cum actus legis sit præcipere, et prohibere. Lex autem est dictamen, et regula cui conformatur voluntas, non autem potest esse actus voluntatis, alias regula cui deberet conformari voluntas esset ipsamet voluntas, et actus ejus, quod est absurdum; ergo lex, et præceptum non est actus voluntatis, sed rationis. Et sic nomine lucis in Scriptura significatur, ut Proverb. vi: *Mandatum lucerna est, et lex lux*. Ubi manifeste ipsum præceptum, seu imperium quod est mandatum dicitur esse lucerna, quod pertinet ad rationem luminis, et manifestationis, quod utique intellectus est. Et de ipsa lege naturali nobis impressa dicitur Psalm. iv: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Ergo directe pertinet ad intellectum præceptum, et lex.

XI. Quod vero imperium præsupponat actum voluntatis, a quo tamquam a primo movente ratio accipiat efficaciam imperandi, et obligandi, probatur contra aliquos, qui existimarunt posse dari imperium ante omnem actum voluntatis, qui esset quasi actus naturali instinctu proveniens, eo quod etiam intellec-

tus potest ordinare voluntati quid faciat in ipso primo actu, et tunc habet ille actus vim, et effectum imperii, quia ordinat, et præcipit quid in agendum sit pro tunc. Sed tamen ad oppositum affirmat. D. Thomas articulo quinto hujus quæstionis xvii ad tertium. Et fit perspicuum ex ipsa propria natura imperii, quæ solum disponit de executione rei faciendæ, atque adeo supponit electionem de re esse factam: et secundo, quia imperium maxime requirit, et importat liberam administrationem, et gubernationem de re imperata. Et primum constat, quia imperium est actus prudentiæ circa id, quod est difficilius, nempe circa executionem rei, prudentia autem disponit de mediis circa circumstantias occurrentes hic et nunc, duciturque arbitrio non instinctu; maxime enim pertinet ad prudentiam arbitrari, et arbitrario modo duci juxta quod ratio dictat hic et nunc. Quæ autem instinctu fiunt, non dicuntur fieri per prudentiam, neque per regulas prudentiales, quæ conferunt de eo quod faciendum est, non per instinctum agunt: ergo si imperare est actus prudentiæ, non potest imperium fieri per instinctum, et ante omnem actum voluntatis, sed per arbitrium; nec circa finem versari, sed circa media, et executionem eorum, quia respicit circumstantias hic et nunc, et explicatur dicendo: Fac hoc, quod executionem designat rei individuo, et consequenter cum circumstantiis.

XII. Et confirmatur, quia post electionem debet dari actus, qui ordinet de executione faciendâ cum efficaciam, eo quod voluntas post electionem facit impetum ad executionem, et sic debet poni actus, qui de tali executione ordinet, et illum vocamus imperium, et de tali actu nunc agimus. Ergo talis actus necessario supponit actum voluntatis a quo

moveatur, quia supponit electionem, et quod voluntas faciat impetum ad executionem.

XIII. Nec obstat, quod etiam ante istum actum voluntas vult ex ordinatione rationis. Dicimus enim, quod illa ordinatio non est imperium respiciens executionem, sed vel est consilium, si antecedit electionem; vel simplex propositio de fine volendo, vel intendendo; vel ex divino instinctu, et motione, si sit primus actus. Quod vero etiam detur imperium voluntatis circa actus, ut docet S. Thomas articulo quinto non obstat, quia non circa omnes actus voluntatis imperium datur, sed circa illos, qui ad executionem voluntatis pertinent post electionem, ut si voluntati præcipiatur occupari in actu alicujus virtutis, ut religionis, aut penitentiae, vel ut resistat alicui tentationi; tales enim actus, et similes imperantur, sed supponunt aliam priorem voluntatem, qua placet talis actus, et exercitium virtutis, et exinde facit impetum ad exequendum illud. Ex hoc etiam dignoscitur illud secundum supra propositum, quod in imperio reperitur, et ratione cujus exigit ut a voluntatis actu, et motione procedat: nam constat imperium maxime esse actum dominii, et gubernationis, seu regiminis in subditos, et ex tali potestate regiminis, et dominii proficisci. Hoc autem dominium non stat sine libertate, quæ in voluntate residet, et gubernatio non est sine arbitrio, et libera administratione. Quæ enim instinctu, et naturali motu fiunt, non ex arbitrio, et dominio nostro fiunt; imperare autem est actus dominii, et arbitrii, et gubernationis. Denique mandata, seu præcepta Dei sæpius in Scriptura voluntas Dei appellantur, ut inferius argumenta solvendo referemus, quod utique signum est imperium,

seu præceptum voluntatem requirere, aut præsupponere.

XIV. Dico secundo: Actus imperii consistit in judicio pratico secundo post electionem, cum voluntas facit impetum ad executionem, et ex tali impetu format dictamen, et judicium de ea faciendâ, non per modum puræ enuntiationis, sed potius per modum denuntiationis, quæ explicatur illo judicio: Fac hoc; habentque efficaciam ex impetu, quem voluntas facit ad executionem, dirigitur autem immediate ad voluntatem ut utatur, et applicet ad executionem, et mediate ad potentias exequentes, quibus utitur, et quas applicat voluntas utendo illis: et deinde fertur imperium ad alias personas, si illis imperandum est, mediante vocali locutione, vel scripto. Hæc conclusio est contra sententiam, quam de imperio tenet Suarez, ut præcedenti articulo retulimus, eamque refert libro primo de legibus, cap. iv, numer. xi, citantque alia loca, ubi id fuse tractat, ut libro primo de prædestinatione, cap. xvii et xviii, tract. iv de religione, lib. i, cap. iii, et aliis locis; qui sentit post actum voluntatis, quo determinate, et efficaciter vult aliquid cum circumstantiis suis, non dari actum aliquem intellectus, qui dirigatur ad potentias exequentes, quia non pertinet ad intellectum illas applicare, neque aliæ potentie possunt actum, seu imperium ejus percipere.

XV. Nihilominus tamen nostra conclusio est manifesta sententia D. Thomæ, qui in hac quæstione xvii, articulo iii, præsertim ad primum inquit: « Quod non omnis actus præcedit hunc actum rationis, qui est imperium: sed aliquis præcedit, scilicet electio, et aliquis sequitur, scilicet usus, quia post determinationem consilii, quæ est ju-

dicium rationis, voluntas eligit, et post electionem ratio imperat ei per quod agendum est, quod eligitur, et tunc demum voluntas alicujus incipit. Uti exequendo imperium rationis, quandoque quidem voluntas alterius, cum aliquis imperat alteri, quandoque autem voluntas ipsius imperantis, cum aliquis imperat sibi ipsi. » Quibus verbis expresse D. Thomas nostram sententiam declarat, non solum loquendo de imperio, quod est ad alterum, et intimatur alteri per locutionem, sed etiam respectu ipsiusmet hominis, et potentiarum ejus, quod negat Vazquez et Suarez. Loquendo autem de tali imperio aperte dicit S. Thomas, quod sequitur post determinationem judicii, et electionem voluntatis, et tunc post electionem: « Ratio imperat ei per quod agendum est id quod eligitur, et tunc voluntas incipit uti. » Ergo secundum D. Thomam datur actus intellectus post electionem, quo tenditur ad potentias exequentes, quia dicit quod: « Imperat ei per quod agendum est id quod eligitur; » ergo actus imperii dirigitur ad potentias exequentes, sequitur autem post electionem; ergo post voluntatem determinatam et efficacem, quia electio, determinata voluntas est, et accipit medium determinatum, et in singulari unum præ alio. Rursus ex isto imperio, et post illud dicit D. Thomas, quod voluntas incipit uti exequendo imperium rationis; sed usus est applicatio, qua voluntas applicat alias potentias ad exequendum (ut dixerat S. Thomas quæst. xvi, articulo primo) ergo imperium rationis secundum D. Thomam est actus intellectus, qui dirigitur ad voluntatem, et ad applicationem ejus ad potentias exequentes, quia ratio imperat ei per quod agendum est id quod eligitur: quod directe opponitur sententiæ Suarez.

Et hæc directio fit a ratione, seu intellectu immediate ad voluntatem ut utatur, id est, ut applicet alias potentias, et mediante hoc usu dirigitur ad alias, quia usus applicatio est voluntaria ad alias potentias ut exequantur.

XVI. Fundamentum autem conclusionis hujus, ex prima facile deducitur. Nam post electionem, quæ est voluntas determinata, si quidem eligit hoc præ illo, idque efficaciter quantum est ex vi electionis facit voluntas impetum ad exequendum. Qui impetus ad exequendum non est naturalis, sed rationalis, et arbitrarius, et sic efficaciter applicat voluntas, quod oportet in ipsa executione, et opere aliquando uti temperamento, aliquando uti majore conatu et vi, aliquando perseverantiam, et constantiam, et patientiam exercere, quia ex ipsomet opere, et insistencia in actione nascuntur difficultates, tædia, labores, et alia multa, quæ licet antea possent esse prævisa, non tamen ita movent sicut quando sunt præsentia. Et uno verbo, nihil est difficilius in humana vita, quam executiones ipsas perficere. Ergo etiam post electionem et determinationem, oportet multum laborare judicium, et intellectum in dirigenda executione, etiam respectu potentiarum exequentium, quia ipsa applicatio potentiarum subjecta est diversis, ac novis difficultatibus, quæ non nisi ratione, et judicio superantur, et hoc judicium debet esse novum, quia novas difficultates potest habere, aut si non habet (quod erit per accidens) saltem oportet præcedens judicium executive applicare hic et nunc, quod sine dubio aliquem novum modum concernit saltem pro exercitio, de quo etiam ratio judicat, quia etiam hoc judicium rationabiliter fit. Et sic militant hic omnes

rationes pro prima conclusione adductæ ad statuendum hoc imperium.

XVII. Quod autem debeat esse judicium per modum denuntiationis obligantis, et non solum puræ, et simplicis enuntiationis constat, quia hæc est natura imperii, quod regulat executionem obligando, et urgendo ut fiat cum dominio et potestate; ergo non potest esse simplex enuntiatio, qualis inveniri etiam potest in non imperante, sed consulente, aut etiam in imperato, sed per modum denuntiationis obligativæ, et efficacis, qualis etiam dignoscitur in æterna intimatione ad alterum cum dicimus: Fac hoc, eodem enim modo imperat interius homo, cum per se ipsum faciendum est, quia voluntas imperat sibi, et aliis potentiis (utique mediante ratione) ut exequantur, et aliquando invenit resistentiam, aliquando non: unde dicit Augustinus viii confessionum, c. ix: « Imperat animus ut velit animus, nec tamen facit: imperat animus manui, et tanta est facilitas, ut vix discernatur servitium ab imperio. »

XVIII. Quod autem conclusio dicit, hoc imperium dirigi ad potentias exequentes, quod Suarez, et Vazquez non possunt intelligere, quia aliæ potentiæ non percipiunt quid intellectus proponat miror certe tales viros, puerili hac difficultate potuisse moveri. Ut enim voluntas sequatur intellectum, et ob eo dirigatur, et ordinetur non requiritur quod ipsa voluntas percipiat id quod intellectus proponit, sed quod appetat; nec enim appetitus animalis operatur percipiendo per se ipsum, sed id quod percipit homo per intellectum, sequitur voluntas appetendo per se ipsam. Quare si hoc argumentum aliquid probare, etiam probaret, quod ante executionem in elec-

tione, et aliis actibus voluntas non dirigeretur ab intellectu, quia non percipit quid proponat intellectus, ut jam supra ponderavimus contra Vazquez et ex D. Thoma dissolvimus hoc argumentum. Quod vero attinet ad alias potentias exequentes, cum sint voluntate inferiores, ab eaque applicentur per usum, moventur etiam ab imperio mediate, id est, mediante usu, seu applicatione voluntatis, quæ directa ab intellectu utitur aliis potentiis, ut exequentibus hunc usum, et passive applicatis, seu motis, ut dixit S. Thomas quæst. xvi, art. 1. Et has potentias ordine quodam movet, scilicet movendo phantasiam, seu cogitativam, ut illa moveat appetitum, qui movet potentiam motivam cæterasque vires sensitivas, quæ motu possunt applicari ad suos, ut sequenti articulo dicemus.

COROLLARIA EX DICTIS.

XIX. Plura ex dictis colligi, et elucidari possunt, quæ ab aliis longius hic disputantur. Primo sequitur actum imperii sequi post electionem in his, quæ ad executionem rei electæ spectant, ita tamen quod non sequitur immediate ad electionem per se loquendo, sed post electionem intervenit alius actus voluntatis applicans intellectum ad imperandum. Et hoc probabilius videtur licet aliqui sentiant immediate sequi imperium ad electionem. Ratio est, quia electio consummatur in hoc est acceptare unum præ alio. Quod vero applicentur potentiæ ad exequendum, vel faciendum aliquid, non est electio, sed usus, quia usus generaliter loquendo est applicatio voluntatis ad agendum, sed intellectus non imperat, nisi ut applicatus a voluntate; ergo præter electionem requiritur alius actus, quo

voluntas eligens applicet intellectum ad operandum, ut scilicet discernat quid, et quomodo executio sit facienda. Et hic usus est impetus, quem facit voluntas post electionem ad executionem, illumque agnoscit D. Thomas in hac quæstione xvii, art. iii ad tertium, ubi inquit: «Quod actus voluntatis utentis ratione ad imperandum præcedit ipsum imperium.» Et ita quando dicit solutione ad primum: «Quod post electionem ratio imperat,» non est necesse intelligere immediate post, sed post electionem est applicatio voluntatis ut ratio imperet. Et licet electio sit efficax voluntas, non tamen est efficax in applicando, sed in determinando: nec est necesse quod ex efficacia unius actus immediate sequatur talis effectus, qui est imperare, sed sufficit quod mediate.

XX. Secundo sequitur, quod sicut usus sumitur et generaliter pro quacumque applicatione voluntatis ad operandum, et specialiter pro applicatione, seu usu respiciente executionem mediorum electorum; et hoc secundo modo est solum post electionem, primo vero modo etiam ante electionem invenitur, ut cum voluntas post intentum finem applicat intellectum ad consiliandum, et discurrendum circa media, ut docet D. Thomas quæst. xvi, art. iv, ita non inconvenit, quod imperium, sumatur generaliter pro quocumque actu rationis ordinante quid agendum sit, et specialiter pro actu ordinante executionem rei electæ. Et secundo modo semper sequitur post electionem: primo autem modo etiam potest electionem antecedere, quia licet ad eligenda media voluntas non dicatur proprie imperio, sed consilio, et iudicio, qui etiam sunt actus prudentiæ licet minus principales, quam imperium, tamen ad ipsum consilium forman-

dum, quod inquisitione indiget, et discursu, ac pluribus notitiis, bene potest voluntas uti imperio, quo præcipiat, et ordinet intellectus, quomodo notitiæ sint acquirendæ, sive per inventionem, sive per doctrinam, et exercitium facultatum sensitivarum, quæ non nisi per imperium, usumque voluntatis diriguntur. Et tale imperium præcedit electionem, quia præcedit consilium. Ponere autem præter consilium, et iudicium quæ ad electionem requiruntur alium actum imperii ut voluntas eligat, loquendo proprie de imperio, non habet fundamentum: quia voluntas posito consilio, et iudicio de re eligenda, et electione faciendâ habet omnia principia necessaria, et sufficientia ad eligendum, ille autem actus imperii non requiritur, quia iste procedit ex voluntate utente ipso intellectu, seu ratione ad imperandum, ut dicit S. Thomas hic art. iii ad tertium. Voluntas autem non format imperium ad eligendum, nisi quatenus opus est regulare electionem, electio autem sufficienter regulatur per consilium, et iudicium per quod sufficienter proponitur id quod eligendum est, et acceptandum unum præ alio.

XXI. Quod vero prudentia debeat regulare electionem, quia regulat omnes virtutes, et proprius actus virtutum moralium est eligere dicimus, quod etiam electio regulatur a prudentia, sed non mediante actu imperii, sed mediante consilio, et iudicio, quia etiam isti sunt actus prudentiæ, licet minus principales, et sic fiunt a virtutibus prudentiæ annexis, scilicet ab eubulia, et synesi, quæ sunt partes prudentiæ. Et cum dicitur actus virtutum a prudentia regulari, non excluduntur partes prudentiæ, quæ sunt synesis et eubulia. Nec est necesse, quod omnes actus, qui cadunt sub nos-

tra potestate cadant sub imperio, sed sufficit quod cadant sub consilio, aut sufficit quod sint principium imperii, licet non sint imperati, nam etiam ipsum imperium, et principia antecedentia ipsum in potestate nostra sunt. Potest tamen ante electionem præcedere aliquod imperium, ut diximus, et sentit D. Thomas tum ad formandam inquisitionem pro consilio; tum ut voluntas utatur intellectu, et sensibus pro istis operationibus exequentis.

XXII. Tertio colligitur, quomodo imperium sequatur ad electionem, et usus sequatur ad imperium: an necessario, vel libere, respondetur enim simpliciter, et absolute sequi libere, potest tamen secundum quid, et ex suppositione sequi necessario, quod nullo modo tollit rationem laudis, et meriti. Constat hoc, quia tota ratio quare sequatur imperium post electionem, et usus post imperium est ex efficacia voluntatis, quæ post electionem facit impetum ad executionem, et iste impetus oportet quod tangat intellectum, faciendâ quod ordinet, et imperet de exequentis, et deinde quod usus, seu applicatio voluntatis tangat potentias exequentes; ergo sequela unius actus ex alio non majorem necessitatem habet, quam eam, quæ oriri potest ex efficacia voluntatis, quæ est principium totius illius sequelæ unius actus ex alio. At efficacia voluntatis cum libera sit, non imponit necessitatem simpliciter, quia potest suspendi a voluntate quando-cumque voluerit, et sic cessare a sequentibus actibus. At ex suppositione quod non cessat, sed continuat efficacem voluntatem ut fiant, necessario sequitur quod fiant, necessitate consequenti, non antecedenti. Unde quidem est quod sola electionis efficacia, sine hoc quod voluntas impetum faciat ad exe-

quendum, et ad ordinandum de executione, quod est imperare, non semper sequitur de necessitate imperium, etiam ex suppositione solius electionis, eo quod electio solum est determinativa voluntatis ad acceptandum unum medium præ alio, non autem applicativa voluntatis ut fiat executio, nisi detur usus, et applicatio superveniens ad imperandum. Ergo antequam ista applicatio superveniat, non sequitur de necessitate imperium. Hæc autem applicatio, et usus voluntatis aliquando sequitur ad electionem, scilicet quando perseverat, et continuatur vis electionis et conatus, aliquando non, si tepida reddatur, et voluntas non multum curet, nec impetum faciat ad ordinandum de executione. Quod certe potest facere voluntas, quia sicut libera est in eligendo, ita et in continuando illam electionis efficaciam, et conatum, vel non, quia potest non curare de executione, cessando ab efficacia electionis. Et inde provenit, quod aliquando sequitur ex electione imperium et usus, aliquando non.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIII. Primo objicies ad probandum quod imperium formaliter potius consistat in actu voluntatis, quam intellectus: Nam imperium in eodem actu consistet, quod efficacia, et obligatio legis, si quidem lex præceptiva est, et præcepto explicatur. At tota efficacia, et vis legis in voluntate consistit. Nam ita exprimit Scriptura legem Dei nomine voluntatis divinæ, sicut dicitur Ps. cii: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas*: Psal. cxlii: *Doce me facere voluntatem tuam*: II Macchab. i: *Det vobis cor omnibus ut colatis eum, et faciatis*